



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. In eo Concilio constituti procuravit Hilarius irritas fore ordinationes quæ
citra auctoritatem Metropolitanæ Arelatensis peragerentur. Causa
Armentarij explicatur. Tum aperitur verus ac genuinus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

nuerent, facile flexuros si Praefecti pratorio vel Vicarij auctoritas interveniret. incipiendum ab uno esse, ut exemplum daretur in futurum. porro non curandum esse de loco in quo synodus haberetur, modò auctoritas Arelatensis Episcopi susciperetur. immo validius apud posteros firmiusque futurum argumentum, si Concilium extra provinciam Arelatensem haberetur cum auctoritate & sub praesentia Metropolitanì Arelatensis, quam si sub illustri praesentia praefectura haberetur. Existimabat haud dubie facilius dein Episcopos illarum provinciarum ad synodum Arelatensem venturos, si semel devorassent necessitatem obsequendi evocationi Episcopi Arelatensis.

II. Itaque anno CDXXXIX. Hilarius coacto Concilio in civitate Regensi, quae erat in provincia Alpium maritimarum, de causa ordinationis Ebredunensis Metropolitanì cognovit tanquam primus provinciarum Gallicanarum Metropolitanus, ad quem referri deberet de graviore causis quae per provincias emergerent, secundum ea quae à Zozimo fuerant constituta ad exemplum Episcopi Thessalonicensis. Par est enim existimare Hilarium, quem constat magnum virum fuisse, nihil inconsideratè egisse, & ista usurpassè in consequentiam literarum Zozimi, de quarum auctoritate putabat non dubitari inter Episcopos Gallicanos. Sanè in Concilio Regensi praesedit citra contradictionem, nullo Episcoporum litem adversus eum movente ob eam causam, tanquam constaret hanc sedis Arelatensis antistiti potestatem competere ut synodus praesideret intra Gallicanas provincias congregatis. Quinimò cum Concilium illud coactum esset ad castigandam temeritatem Armentarij, qui se Episcopum Ebreduni ordinari consenserat, inter vitia ordinationis apertis verbis refertur omissa Metropolitanì auctoritas, id est, Hilarij Arelatensis, tanquam absque eo non liceret ordinare Metropolitanos. Quo loco revocanda est memoria eorum quae supra dicta sunt, cum de Thessalonicensi Episcopo ageremus, id jus Episcopo illi fuisse ut non antè ordinari possent Metropolitanì provinciarum Illyricianarum quam relatio de persona & electione ejus qui electus esset ad Thessalonicensem missa fuisset à comprovincialibus Episcopis, irritamque futuram fuisse ordinationem quae praetermissa Thessalonicensis antistitis auctoritate celebrata fuisset. Quae regula tum maximè servanda erat cum discordia propter antistitis electionem exorta erat in Ecclesia, cum constitutum saepe esset ut graviores causae ad examen Thessalonicensis Episcopi deferrentur. Cum

autem tum Arelatensis Episcopus exurgeret in comparisonem Thessalonicensis, sciretque se generalibus Zozimi mandatis instructum esse, qui ad notitiam ejus referri censuerat si quid negotiorum per Gallias emergeret, intelligens vir prudens magnis conatibus obsistere timiditatem, contra audacem animum difficiliora etiam negotia ut plurimum perducere ad felices exitus, tentandos putavit Gallicanos Episcopos, & si res succederet, bene esse.

III. Congregato igitur, uti diximus, Concilio Regensi, ut mansura etiam circa Metropolitanos auctoritas confirmaretur exegit, eamque ordinationem esse irritam pronuntiare quae citra auctoritatem Metropolitanì Arelatensis Episcopi celebrata foret. Quod ut facilius obtineret, primum huc flexit Episcopos ut ordinationem Armentarij nullam esse censerent, quia sacris Ecclesiae canonibus ac reverendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium Episcoporum praesentia, absque comprovincialium litteris, sine Metropolitanì auctoritate, irritam ordinationis speciem à duobus temerè convenientibus praesumptam esse clarebat. Et favorabilis in speciem occasio erat. Nam & praecipitata ordinatio erat, & à duobus tantum Episcopis celebrata, comprovincialibus neque praesentibus neque consensus suos per literas praestantibus. Itaque hac pulcherrima occasione usus Hilarius, consensu Gallicanorum Episcoporum locum primi Metropolitanì obtinuit, absque quo non liceret Episcopos ordinare in provinciis Gallicanis. Sic enim intelligendum omnino puto canonem septimum Regensem, quo de Episcoporum ordinationibus cavetur in futurum. Excitati quippe hac occasione Episcopi, sibimetipsis contra hujusmodi scandala praecavendum censuerunt, & propterea ejusmodi temeritatem, nimirum propter ordinationem Armentarij, qui contra canones & citra Metropolitanì Arelatensis auctoritatem ordinatus in Ebredunensi Ecclesia fuerat, definiverunt uti cum aliqua Ecclesia Episcopum perdidisset, vicinae Ecclesiae Episcopus ad eam exequiarum tempore accederet, provideretque intra septimum diem uti legitima canonicaque electio fieret à Clericis Ecclesiae vacantis. Tum verò opperiri eum jubent, ut ego quidem arbitror, auctoritatem Metropolitanì Arelatensis. Quod credere me cogit praesentia Hilarij, qui dolorem suum graviter ob praetermissam auctoritatem suam ultus est adversus Armentarium in hoc Concilio Regensi ea sola de causa congregato. Vnde concludo canones istos, quoties de Metropolitanò loquuntur, Arelatensem intelligere. Decernunt ergo patres

M iij

Concil. Reg. in praesentia.

Concil. Reg. can. 6

Vide hinc de
cap. 11. de
cap. 11. de

Vide hinc de
cap. 11. de
cap. 11. de

Ibid. can. 7.

ut postquam cuncta quæ diximus providerit Episcopus ille qui defuncti exequias curavit, exin se Ecclesie referens, mandatum Metropolitanæ simul cum omnibus sanctis Episcopis offeratur, nec quisquam ad Ecclesiam quæ summum amiserit sacerdotem, nisi Metropolitanæ litteris invitatus, accedat. Quibus constitutis, quæ (ut inquit canon octavus) omnes communi consensu conservanda, neque, quod absit, sine offensa omnium ac Dei à quoquam transgredienda definiunt, Hilarius ante omnes subscripsit hoc modo: Ego Hilarius Episcopus, juxta id quod universis sanctis cœpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, definita patrum sequutus, his definitionibus subscripsi.

IV. Defuncti explicatione canonum Concilij Regensis, ad Arausicanum veniamus, quod biennio post sub eodem Hilario celebratum est. Erat sanè Arausica una ex civitatibus quæ componebant provinciam Arelatensem. Vnde colligitur jus hinc synodo præsidendi competitivè Hilario, ea etiam de causa, quòd Concilium haberetur intra suam ipsius provinciam. Interfuerunt huic Concilio Eucherius Episcopus Lugdunensis & Ingenius Ebredunensis, qui longo intervallo subscribunt post Hilarium. Sed cum Episcopis illis ordinatione antiquior esset Hilarius, colligi hinc non potest illum tenuisse illic primum super eos locum vi auctoritatis suæ. Itaque illud unum contendo, ad synodum Arelatensem Episcopi occurrisse etiam Episcopos provinciarum Lugdunensis & Alpium maritimarum ac fortean aliarum provinciarum. Nescimus enim quarum Ecclesiarum Episcopi fuerint illi qui in Concilio illo Arausicano adfuisse leguntur in subscriptionibus. Præterea constat ex canone xxxi. multos Episcopos ad eam synodum non accessisse legitime, ut videtur, impeditos, qui consensus dederunt, plerosque etiam defuisse per contumaciam, qui castigantur in hoc canone, utrumque autem admonendorum ut ad sequentem futuram synodum veniant sollicitudo relinquatur Hilario, in quo auctoritatem quandam extraordinariam in Hilario agnovisse synodum Arausicanam constat. Reliquos qui defuerunt, inquit Episcopi, beatissimi fratris nostri Hilarii sollicitudini relinquimus datis ad ipsos horum exemplaribus commoneandos. Vnde colligi potest generalem fuisse synodum, quæ cura & auctoritate coacta fuerit Hilarii Episcopi Arelatenfis. Adde quòd canon xxxi. generalis est, non unius tantum provinciarum causa conditus, sed plurium, cum ita dicat: In nostris provinciis placuit de presumptoribus, ut scubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitatum facere, auctoribus damnatis, unius eorum

Ecclesie ipse qui vim passus est substituitur, si tamen vita respondet.

V. Sequitur Concilium Vafense habitum intra provinciam Arelatensem: de quo nihil certi dicere possumus, destituti subsidio quod in hujuscemodi rebus adferre solent subscriptiones Episcoporum. Attamen ex primo canone colligi posse videtur generale illud fuisse, cum decretum generale sit, & ad omnes Gallicanas provincias ex æquo pertineat. Nam hæc sunt verba canonis: Placuit ergo, tractatu habito, Episcopos de Gallicanis provinciis venientes intra Gallias non discutendos, sed solum sufficere si nullus communionem alicujus interdixerit. Respicit enim canon ad Episcopos ex provincia sua ad aliam provinciam accedentes, quos, si è longinquo venirent, examinare oporteret, ut agnosci posset an verè Episcopi essent, vel impostores, quoad eos verò qui è vicinis provinciis venirent, cum sibi invicem noti sint, istam curam non esse necessariam. Quibus verbis puto intelligi vicinas tantum Arelatenfi urbi provincias, Septem nimirum, ac fortassis Lugdunensem, quæ in vicino erat, præsertim cum Arausicano Concilio interfuisse reperitur Eucherius Episcopus Lugdunensis pro se & pro cœpiscopis suis, quorum adsensum se expectare profitetur in fine Concilij.

CAPVT XXXII.

Synopsis.

I. Disputatur de tempore quo celebratum est Concilium Arelatense secundum.

II. Generale illud fuisse, non verò provinciale, scripsit illustrissimus Archiepiscopus. Quod etiam probatur ex canone xxviii. ejusdem Concilij.

III. Possessionem suam pro convocacione Conciliorum generalium confirmari in synodo illa procedente Hilarius Episcopus Arelatenfis, exemplo ducto a synodo Nicæna, qua Patriarcharum auctoritatem firmaverat canonem. Explicatur canon ille Arelatenfis.

IV. Chelidonius Episcopus Vesontionensis deponitur ab Hilario, quia interruptam duxerat, & quia capitali aliquos sententia condemnaverat. Qui iudicio non acquiescens, Romam se contulit ad Leonem Papam.

V. Chelidonium secutus est Hilarius, prohibetur ne quid adversus decreta Concilij Gallicani tentaretur. Auctoritatem Conciliorum provincialium his verbis tuus est quibus iram Leonis in se accersit.

VI. Habita Roma synodo ob eam causam, adfuit Hilarius, contenditque retrahari non posse iudicia Conciliorum provincialium quæ concordibus Episcoporum suffragis decreta erant. Absolutus est Chelidonius in Romana synodo, non tamen ab Hilario suscipitur.

VII. In eodem Concilio Romano proposita est alia adversus Hilarium querela, quod Prolesio Episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset Episcopum.

VIII. Arguitur deinde quòd militaris eum manu